



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De clerico, qui stuprauerat vxorem militis, quem post confessionem  
diabolus in stabulo dixit esse iustificatum, cap. 2

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

signum contritionis, cuius virtutem & fructum magis tibi exemplis, quam scripturarum testimonijs ostendere proposui.

## CAPVT II.

*Virtus cō  
fessionis.*

**M**ILES quidam in villa quadam habitauit, cuius vxorem eiusdem villæ sacerdos per adulterium maculauit: dictū est militi, quia sacerdos rem haberet cum vxore sua. Ille, cum vir prudens esset, nec verbis facilè crederet, nullam de hoc facere mentionem voluit vxori siue sacerdoti, veritatem veriùs volens experiri, non tamen sine suspicione fuit. Contigit vt in quadam villa, non multum à militis villa remota, quidam obsessus esset, in quo dæmonium tam nequam erat, vt coram astantibus improperaret peccata, quæ per confessionē verā nō fuissent tecta. Quod cum miles ex multorum didicisset relatione, rogauit suspectum sibi sacerdotem, vt ad colloquium quoddā secum ire non recusaret. Et acquieuit sacerdos. Cum venissent simul in villam, vbi erat obsessus, cōsciùs ipse sibi sacerdos, suspectū cepit habere militem, quia non latebat eum, quòd obsessus à tam nequam dæmone in eadem villa habitaret, timensq; vitæ suæ, si à dæmone proderetur, necessitatē naturæ simulans, intrauit stabulum ad seruum militis, pedibusq; eius prostratus, ait: Rogo te propter Deum, vt audias confessionē meā. Quem seruus expauescēs, leuauit, audiens quæ ab illo dicebantur. Facta verò confessione, cū sibi sacerdos iniungi peteret pœnitentiā, seruus satis prudenter respondit illi, dicens: quantum alteri sacerdoti protali crimine iniūgeretis, hoc sit satisfactio vestra, sicq; exiēs iā securior, cum milite ad ecclesiam venit, in qua dæmoniosum offendentes, requisitus est à milite in hæc verbā: Nosti aliquid de me? Hoc enim ex industria factum est, vt iam dicto sacerdoti tolleret suspicionem. Cui cū dæmon nescio quid responderet, adjecit: Quid tibi videtur de isto domino? respōdit ille: Nihil de eo scio. Et cum hoc dixisset lingua teuthonica, mox latinè subjūxit: In stabulo iustificatus est: Nullus tunc aderat clericorū. APOLLON.

Satis



Satis puto, quod non sponte sua illa hora latinista factus sit diabolus. CÆSARIUS: Non est permittus loqui teuthonicè, ne miles verbum & ex verbo factum intelligeret, nec tamen tacere licuit, ut virtutem confessionis sacerdoti ostenderet. APOLLONIVS: Magna est virtus confessionis, quæ & crimen adulterij a memoria diaboli deleuit, & hominem ab imminenti periculo liberavit. CÆSARIUS: Audi & fructum huius confessionis. Sacerdos non immemor collati sibi beneficij, seculum deseruit, & in quodam cœnobio ordinis nostri monachum se fecit: adhuc vivere putatur, sicut didici à quodam Abbate ordinis Cisterciensis. APOLLONIVS: Prophetia huius protervi dæmonis, causa ei extitit magnæ salutis. CÆSARIUS: Narravit mihi & aliud penè simile huic.

## CAPVT III.

**C**VIVSDAM militis vxor proprium seruum admiserat, libidinis igne succensa: cum quo per tempus aliquod occultè peccasset, nec iam latere posset, ad aures mariti peruenit. Ille verò de verbo dolens, nec tamen verbis ad plenum credens, tacuit, sciens, se inuestigante, rem tam nephariam diu non posse occultari. Et quia vir erat diues & honestus, vxorisq; fama tam inops & inhonesta, maluit rem in expertam per silentium ad tempus tegere, quam se & vxorè, genusq; tam suum quàm illius, per suspensiones dehonestare. Interim ubiq; diuulgatum est, in tali villa obsessum quendam esse, nescio tamen si idem fuerit, de quo superius dictum est, qui nemini parceret, sed presentibus peccata occulta objiceret & improperearet. Quod cum audisset miles, sperans illum rei veritatem discere, assumpto secum seruo, cepit illum pergere, viæ causam seruo penitus ignorante. Venientibus eis ad nemus quoddam; cum dominus declinaret in semiram quendam, quæ ad dæmoniaci tendebat villam, cepit seruus valde pauere, sciens pro certo, se ultra vivere non posse, si crimen adulterij proderetur a dæmone. Positus in tanto timore, dum in cogitationibus suis fluctuaret, hominem in eodem nemore ligna incidentem audiuit,

*Simile  
exemplum*

inqui-